

minus vobiscum, quando benedictio immediate Orationem sequitur.

1196. *Tantum ergo* et *Genitori* semper cantantur aut recitantur ante benedictionem cum Versiculo *Panem de coelo* etc. et Oratione *Deus, qui nobis sub Sacramento*, cui adiungi potest aliqua Oratio, si dicenda, aut ex rationabili et gravi causa sit ab Episcopo concessa vel praescripta, praeterquam in festo et Octava Corporis Christi ¹.

§ III. — *De ritu publice exponendi et reponendi SS. Sacramentum.*

1197. Pro publica expositione SS. Sacramenti, ornato convenienter Altari, et disposito necessario numero candelabrorum cum cereis, et throno cum Corporali super basim; paratis in Sacratio, quae dicta sunt alibi (de officio Sacristae, num. 592): datis consuetis campanae signis; hora competenti a Clericis vel a Fratribus Laicis cotta indutis accenduntur candelae Altaris, et interim Sacrista vel Clericus pariter indutus cotta defert ad Altare Ostensorium parvo velo albo obtectum, bursam albi coloris cum Corporali, claviculam Tabernaculi, et haec omnia collocat super mensam prope medium; item Velum humerale, quod ponit super abacum seu credentiam, et librum precum locandum vel super abacum vel super gradus Altaris. Maxime autem convenit, ut tabellae Secretarum amoveantur ab Altari et alibi ponantur.

¹ S. Rit. C. 22 Septemb. 1837.

1198. Omnibus dispositis, Sacerdos superpelliceo et Stola alba indutus, praecedentibus Thuriferario cum thuribulo et navicula, duobus Clericis cum intorticiis accensis, et alio saltem Clerico pro adsistentia, facta prius ab omnibus simul Cruci aut imagini reverentia, manibus iunctis procedit ad Altare. Cum ad Presbyterium pervenerint, Thuriferarius parum recedat a latere Epistolae, deferentes intorticia ante Altare a lateribus hinc inde sistant: Sacerdos et alii progrediantur usque ad infimum Altaris gradum, et tunc omnes simul genuflexionem faciant in plano.

1199. Thuriferarius vel suo loco stabit, vel medius inter deferentes intorticia cum ipsis in plano Presbyterii adgeniculabitur, caeteri ad infimum gradum: Sacerdos vero statim, sine mora, ascendet in suppedaneum, extrahet Corporale e bursa et super mensam extendet, ostiolum Ciborii clavicula aperiet, genuflectet, custodiam seu capsulam cum sacra Hostia educet et ponet super Corporale, atque ostiolum Ciborii claudit. Hinc posito super Corporale Ostensorio, illud detegit, velum ponens super Altare in cornu Evangelii, aperit crystallum sphaerae, deinde Custodiam, et accepta per manubrium lunula cum sacra Hostia, ipsam collocat in sphaera, ita ut ex nulla parte crystallum tangat, sphaeramque claudit. Claudit inde et Custodiam, ipsam collocans a latere Epistolae super Corporale, hinc Ostensorium vertit ex parte nobiliori et super basim throni statuit si facile possit, et facta genuflexione descendit in planum ex parte Evangelii.

1200. Si thronus autem ita sit elevatus, ut Sacerdos ad eius basim manibus non pertingat, tunc posito Osten-

sorio in medio Corporali recedit aliquantulum a latere Epistolae, dum Clericus a latere Evangelii parvam scalam seu scabellum admovet in medium suppedaneum: hinc uterque simul Clericus et Sacerdos genuflexionem faciunt et surgunt; Clericus Sacerdotem scalam ascendentem sustentat, Sacerdos, sumpto manu dextera Ostensorio, ascendit et illud super Corporale in basi throni collocat, et scala seu scabello descendit, simul cum Clerico genuflexionem iterat, et se vertens paululum a latere Epistolae, ita ut dorsum Sacramento non vertat, descendit in planum, et in infimo gradu adgeniculatur profunda reverentia Sacramentum adorans, et assurgit. Clericus interim, scabello in suo loco reposito, accedit ad Sacerdotem et prope ipsum in eodem gradu genua flectit.

1201. Si opus sit SS. Sacramentum ad posticam partem Altaris deferre, ut in throno ponatur, Sacerdos collocata in Ostensorio S. Hostia, simplici facta genuflexione, manu dextera Ostensorium infra nodum accipit submissa sinistra, per gradus Altaris a cornu Epistolae descendit, Clerico comitante ut ipsum scalam ascendentem sustentet, sic in throno exponit; inde descendit, et cum Clerico ad suum locum redit. Notandum, quod in hoc casu Sacerdos non utitur Velo humerali.

1202. Genuflexus Sacerdos sic in infimo gradu Altaris, facta Sanctissimo adoratione, profunde se inclinans assurgit. Thuriferarius, facta duplici genuflexione et reverentia eodem tempore, cum Sacerdote ipso assurgit, accedit ad Altare et stans, tradita navicula vel Clerico assistenti pariter stanti, qui Sacerdoti sine osculis ministrabit incensum, vel ipsi Sacerdoti si Clericus assi-

stens non adsit, thuribulum apertum offeret: et Sacerdos parum conversus in illud sine benedictione incensum iniiciet, hinc rursus geniculabit in infimo gradu, et accepto thuribulo vel a Clerico assistente, vel ab ipso Thuriferario, praemissa profunda inclinatione, thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum et thuribulum restituet ei a quo acceperat.

1203. Si post expositionem cantandae sint Litaniae, vel recitandae preces ex consuetudine, vel ex aliqua rationabili causa, dummodo sint liturgicae, aut ab auctoritate ecclesiastica approbatae, Thuriferarius, accepto thuribulo, procedet in medium Presbyterium ante Altare: Clerici deferentes intorticia assurgent, et, simul cum illo facta duplici genuflexione, ipso praeunte ad Sacrarium redeunt. Sacerdos autem genuflexus in infimo gradu preces recitat, cantat si quae cantanda sint, surgens ipse solus ad *Dominus vobiscum*, si dici debeat, et ad Orationes; quibus expletis, iterum genuflectit, et facta brevi adoratione, cum Adsistentibus, si adsint, surgit, et duplici ab omnibus simul genuflexione peracta in plano, ad Sacrarium, ordine quo venerant, revertuntur. Advertatur tamen, ut toto expositionis tempore aliquis ad adorandum maneat. Tid. n. 1187.

1204. Si vero statim post preces danda sit benedictio et Sacramentum reponendum (non enim licet benedicere populum cum SS. Sacramento nisi in repositione), tunc Clerici circa finem precum redeant ad Sacrarium, ubi Celebrans interim induetur Amictu, superpelliceo aut Alba et Cingulo, Stola et Pluviali albi coloris. Sub fine Orationum Celebrans sic paratus, simul cum Ministris Cruci aut imagini facta de more reve-

rentia, praecedentibus Thuriferario et Clericis cum intorticiis, si adsint, inter duos Clericos fimbrias Pluvialis tenentes ad Altare procedat, tecto capite Amictu; at cum in conspectu Sacramenti advenerit, caput detegat.

1205. Sacerdos, qui mansit ad Altare, superveniente Celebrante assurgit, utroque genu flexo adorabit in plano, et Stola deposita, recedet in cornu Epistolae, ibique maneat prope gradus Altaris.

1206. Cum Celebrans pervenerit ad Presbyterium, Thuriferarius parum se retrahit ad latus Epistolae, qui intorticia deferunt hinc et inde, ut Celebrans et Assistentes libere transire possint usque ad Altaris gradus, ubi subsistunt; et tunc omnes eodem tempore utrumque genu flectunt in plano, et assurgunt. Hinc Thuriferarius stabit, Clerici deferentes intorticia contra faciem Altaris adgeniculabuntur, et Celebrans priusquam genua submittet in infimo gradu Altaris, incensum in thuribulo ponet parum versus ad latus Epistolae more solito sine benedictione, naviculam ministrante Clerico, qui stat ad eius dexteram, vel Sacerdote assistente, si unus tantum esset Clericus, qui a sinistris adstabit et fimbriam dexteram Pluvialis elevatam tenebit, ut brachium Celebrantis sit liber, ac Thuriferario stante obiciente thuribulum. Si duo Clerici assistant Celebranti, Sacerdos assistens vices geret Caereoniarum.

1207. Hoc peracto omnes geniculabunt: Celebrans in medio, Adsistentes prope ipsum a dextris et a sinistris in infimo gradu Altaris, Sacerdos assistens a dextris primi Clerici, vel loco ipsius si unus tantum assistat, Thuriferarius prope primum Assistentem a dextris in plano. Statim autem Celebrans cum Ministris

intonabit *Tantum ergo*, quod Chorus respective populus continuabit; ad verba *Veneremur cernui* fiet ab omnibus reverentia profunda, et dictis his verbis Assistens a dextris accipit naviculam a Thuriferario et sine osculis tradit Celebranti, ut incensum ponat in thuribulo. Post verba *Genitori Genitoque* Celebrans triplici ductu Sacramentum thurificabit, et thuribulum restituet Assistenti et hic Thuriferario, qui ad suum locum redibit inter deferentes intorticia.

1208. Cantato *Genitori Genitoque* etc., adiicietur *Ÿ. Panem de coelo* etc., cui tempore paschali et per totam Corporis Christi Octavam additur *Alleluia*. Celebrans post Versiculum, nullam faciens reverentiam neque genuflexionem, assurgit et tono feriali cantabit Orationem *Deus, qui nobis* etc. caput inclinans ad *Oremus. Dominus vobiscum* non dicitur¹; et conclusio erit: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum*. Librum vel sustinebunt Assistentes, vel poterit ipse sibi manibus sustinere. Post Orationem statim denuo procumbit in genua.

1209. Orationi *Deus, qui nobis* poterit adiungi aliqua alia Oratio², dummodo ab Ordinario praescripta sit, aut gravis adsit ratio id faciendi: nunquam tamen infra Octavam Corporis Christi³; conclusio semper erit brevis.

1210. Cantata Oratione, Sacerdos assistens sibi Stolam imponit, assurgit et in suppedaneum Altaris ascendit, et simplici genuflexione ibi facta, SS. Sacra-

¹ S. Rit. C. 3 Martii 1761, in Aquen., ad 7.

² S. Rit. C. 7 Septemb. 1850.

³ S. Rit. C. 22 Septemb. 1837.

mentum deponit e throno eodem modo quo antea exposuit; Ostensorium super Corporale collocat, et in suppedaneum adgeniculatur.

1211. Eodem tempore, quo Sacerdos Sacramentum deponit, Clericus, qui est a dextris Celebrantis, assurgit, Velum humerale sumit, explicat et Celebrantis humeris imponit, et Clericus alter Velum ipsum ante pectus eidem alligat. Quod si unicus esset Clericus a sinistris, ipse surget, et facta duplici genuflexione in medio omnia ista peraget.

1212. Celebrans hinc facta simul cum Assistantibus profunda reverentia, ad Altare cum ipsis ascendet; hi in extremo suppedaneo geniculabunt, Celebrans manibus insistens Altari simplicem genuflexionem peragit, et dum ipse assurgit, surget quoque Sacerdos assistens, qui illi tradet Ostensorium ita conversum, ut in danda benedictione pars anterior populum respiciat: Celebrans autem manibus Veli humeralis extremitatibus coopertis illud accipit, dextera ad nodum, sinistram pedi submitens. Sacerdos assistens recedet ad latus Epistolae, sibi detrahet Stolum et in extremitate suppedanei in genua procumbet: vel si non adsit Clericus assistens, a dextris in loco ipsius genua flectet. Notandum, quod Velo humerali tegendae sunt manus Celebrantis, non autem Ostensorium aut pars illius.

1213. Celebrans convertatur ad populum super sinistram suam, Ostensorium ante pectus tenens: et benedictionem impertietur faciens super populum signum Crucis, elevans primo Ostensorium usque ad oculos, demittens inde infra pectus, iterum usque ad pectus elevet, ducet deinde ad sinistrum humerum et linea

horizontali reducet ad dexterum, quin pedes moveat; convertetur hinc super dexteram suam ad Altare et ibi, adiuvante Sacerdote assistente, qui Stolum rursus sibi imposuerit, super Corporale Ostensorium dimittat.

1214. Deposito Ostensorio, Celebrans simplicem genuflexionem peragit, seque convertens descendit, parum se tenens a parte Evangelii, ne terga Sacramento vertat; rursus geniculabit in medio, in infimo gradu, profundam reverentiam facit simul cum Clericis, qui pariter descenderint; et tunc, non antea, a Clerico, qui est a sinistris, Velum humerale ei expedietur, quod ab alio excipietur, vel ipse detrahet, si alius non adsit. Si ex consuetudine vel ex praescripto statim post benedictionem vel laudes aliquae recitandae sint, vel aliquid liturgicum cantandum, hoc fieri debet, dum Sacramentum reponitur, neque relinquendum est Sacramentum expositum post imperitam benedictionem.

1215. Sacerdos assistens assurgit, genuflectit paululum in latere Epistolae, ad medium Altaris accedit, convertit aliquantulum Ostensorium, aperit custodiam seu capsulam Hostiae, inde crystallum Ostensorii, et, detracta reverenter lunula, ipsam in custodiam reponit, ipsam claudit et sistit in medio Corporalis: claudit hinc crystallum Ostensorii, et illud extra Corporale collocat in cornu Evangelii: aperto deinde ostiolo Tabernaculi, Sacramentum recondit; et, facta genuflexione, assurgit, claudit ostiolum, et sibi detracta Stola recedat. Postea surgentes omnes genuflexionem in plano faciunt, et ordine quo venerant ad Sacrarium redeunt.

1216. Si Sacerdos assistens non habeatur, omnia ab ipso facienda faciet ipse Celebrans: verum si Sacra-

mentum in locum valde elevatum exponatur, tunc sive in expositione sive in depositione dimittat Pluviale, ne evertat candelabra, aut aliquod aliud inconveniens accidat.

1217. Si expositio facienda sit ante Missam vel immediate post, Sacerdos celebraturus illam perficere poterit cum paramentis sacerdotalibus, deposito simpliciter Manipulo. Si non immediate post Missam danda sit benedictio cum Ostensorio, Sacerdos redeat ad Sacristiam, deponat Casulam et Manipulum, et Pluviale induat, et sic revertatur ordine indicato ad Altare.

1218. Quando expositio SS. Sacramenti, ut pluries evenit, fit simpliciter ad benedictionem populo imperiendam, tunc paratis omnibus, Celebrans cum Ministris more solito pergit ad Altare, ibique facta ab omnibus genuflexione in plano, statim vel ipse Celebrans, vel Sacerdos assistens, si adsit, aliis genuflexis in infimo gradu Altaris, Sacramentum exponit. Ponitur hinc incensum in thuribulo, incensatur more solito Sacramentum et intonatur *Tantum ergo*. Dicuntur, si quae dicendae sint, preces et post verba *Genitori Genitoque*, secundo incensatur SS. Sacramentum. Caetera omnia complentur ut supra dictum est.

§ IV. — *De expositione Quadraginta Horarum.*

1219. Quandocumque Oratio Quadraginta Horarum cum SS^mi Sacramenti expositione instituitur, Altare, in quo illud est exponendum, pallio albo¹ ac so-

¹ S. Rit. C. 19 Decemb. 1829.

lemni apparatu adornabitur, pluribus cum candelabris apte dispositis, in quorum medio thronus seu baldachinum coloris albi positum sit, super cuius basim extensum sit Corporale. De die super illud decem et octo saltem ardebunt candelae, Romae vero saltem viginti: nocturno etiam tempore, idem numerus nequaquam minuetur. Attamen quoad numerum cereorum, qui iugiter ardere debebunt ante SS^mum Sacramentum, servabitur dioecesani Episcopi mandatum, aut Synodalis praescriptio. Picturae et imagines, quae sunt super et prope Altare, operiantur velo albo vel rubro. Nec Sanctorum sive imagines sive Reliquiae, ut in quavis SS^mi Sacramenti expositione, super Altare unquam collocabuntur¹. Poterunt tamen Angelorum simulacra sustinentia candelabra cum candelis adhiberi.

1220. In Altari expositionis, tempore Missae solemnis, adsit Crux visibilis populo cum imagine Crucifixi, ponantur et tabellae Secretarum seu chartaegloriae. In abaco seu credentia, praeter ea quae parantur pro aliis Missis solemnibus, ponatur Ostensorium parvo velo albo obtectum; capsula clausa cum hostia consecranda bene aptata in sua lunula; liber precum pro Celebrante, et saltem alii duo pro Cantoribus; Pluviale concolor paramentis Missae. Si autem facienda sit processio, adsit et Velum humerale album: thuribulum alterum, si habeatur: duo candelabra cum cereis pro Ceroferariis: et prope abacum Crux processionalis, umbella, aut baldachinum cum hastis; et si processio extra Ecclesiam facienda esset, parentur ad limina Pre-

¹ S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.